



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

19. De primo Ordine Figurarum: Quæ imagines vno vel paucis verbis
exprimunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Roi magis humilis expositio definitur à Ser-
mo.

Tautologia.

Eandem rem pluribus verbis significat hoc
Aquil p. 21. schema. Differt autem per exiguo à superiori
figura, Synonymia: Ibi enim singulae par-
tes ex ordine idem significantes ponuntur:
hic vnus nominis, aut verbi prius positi vis
deinceps pluribus verbis explicatur: vt si di-
cas; Senatus, populiq; Romani summum
consilium, à quo iura exterae nationes
petunt. Hic enim vnum nomen Senatus pro-
secutionem accipit ex pluribus verbis, non ali-
ud significantibus. Qui enim summum con-
siliū dixit, & eum ordinem, à quo exterae
nationes iura petant, non aliud, quam senatū
dixit, sed proseguendo latius ornauit elocuti-
onem.

Traductio.

Eiusdem verbi crebrius positi quaedam di-
stinctio: vt, Qui nihil habet in vita iucundius
vita, is cum virtute vitam non potest colere:
Cic. lib. 4. ad Heren. Eadem est cum analepsi.

Zeugma.

Est cum vnum verbum communiter multis
sententijs iungitur ad omnes pari significatio-
ne pertinens, & adnexum, vt.

Aeneas Vrbe, & socijs, & classe relicta.

Latine haec figura dicitur ligatio, vel annexio.
N^e quid igitur à me in hac parte desidera-
retur, visum est istam figuram nomen-
claturam, ex Demetrio Phalereo, Hermoge-
ne, Longino, Alexandro, Aristidis scholiaste,
Rutilio, Aquila, Rufiniano, Beda, & ceteris
breuiter subijcere, tum propter antiquitatis
auctoritatem, quam magni facio, tum propter
variā, & sane non inutilem *ἑκείνων* cogni-
tionem. Sed quia multas in tot veterum ob-
seruationibus esse minutias nemo non videt,
nunc omilla leuiorum figurarum disquisiti-
one, de vsu earum, quae notiores sunt, & ad ora-
tionis ornamenta laepius adhibentur, maxime
Ciceronianis exemplis pauca dicam.

De vsu, & Varijs ordinibus figurarum.

CAPVT XVIII.

Qvod vestis corpori, stellae caelo, pratis flo-
res, regum coronis margaritae, scenae
& foto tabulae, atque insignia, hoc orati-

oni figurae, quibus nihil in oratorum appa-
ratu magnificentius: sed & in verbis contingere so-
let, in vsu quidam modus, ne si nimia fue-
rint, iisdem oratio potius obliui, quam disti-
ngui videatur.

Nescio enim quo pacto, non modò in re-
bus humanis, sed & in verbis contingere so-
let, vt summa voluptas fastidio sit vicina: &
pulcherrima quaeque si fuerint communi-
satietae impleant animos potius, quam dele-
ctent. Itaque & in mundo recursantes diei, &
noctis vices lucem efficiunt mortalibus iucun-
diorē, & annum temperant hyemis rigor,
feruor aestatis, amoenus veris decor, & autum-
ni grata maturitas, quae à Deo in natura pri-
mum condita, orator in verbis (sunt enim qua-
si naturae imagines) imitatur, nec orationem
figuris faciet, potius, quam decorabit.

Itaque nunc de earum vsu à nobis dicen-
dum est, non eo quidem ordine, qui tyronibus
tradi solet, sed qui instituto nostro, & dedo-
latis ingenijs sit commodior. At certè dum
còplector animo figuras omnes, vel ad docen-
dum, vel ad mouendum fictas reperio.

Primum igitur de ijs agam, quae ad illustre,
& suauē genus dicendi, in quo potissimum ef-
fert se delectatio, attinent, deinde grauis gene-
ris ornamenta, & figuras, quibus & docere, &
mouere possumus, ostendam.

Figurae ferme omnes, quibus haec dicendi
suauitas excolitur, aut in conformatione ali-
cuius imaginis, aut in repetitione verborum,
aut in dictionum nexu, & quadam gratia
concinnitatis versantur. Quae rerum imagines
efformant, vel vno, aut paucis verbis faciunt:
ex quo oriuntur metaphorae, antonomasiae,
epitheta, periphraes, synonymia, vel artifici-
osius, atque vberius expoliunt imagines, vnde
descriptions emergunt.

De primo ordine figurarum.

Quae imagines vno, vel paucis verbis expri-
munt.

CAPVT XIX.

PRIMA series figuratum metaphoram, an-
tonomasiā, epithetum, periphraem,
synonymiam comprehendit. De translatione
haec praescribit Demetrius.

Metaphora est ad vnum verbum contra-

sta similitudo, quæ suavitatem, & splendorem addit orationi, ubi moderate adhibetur, nam si frequentior fuerit dithyrambos scribemus, non orationes, neque violentas esse oportet istas translationes, sed ductas à similitudine: sunt autem hæc similia, Imperator, gubernator, auriga.

Non semper convertuntur metaphora, sicut poeta radicem montis pedem appellare, hominis pedem appellare radicem non debet: sicut Apuleio, & Plinio pediculos nominare serpentes, dracones, pediculos nuncupare insanum est. Turtor est metaphora, & iucundior, quæ fit per similitudinē, addita quadam particula, aut quodam simili, quod Platoni, & Xenophonti familiare est. Optimæ sunt illæ, quæ tribuunt sensum rebus inanimis, ut de telo, in adversam aciem involare cupit. Incidunt aliquando ita propria, & claræ, ut non translatæ, sed nativæ videantur.

Et de ijs intelligendus. M. Tullius in oratore, cum dixit:

Ex omni genere frequentissimæ translationes erunt, quod ea propter similitudinem transferunt animos, & referunt, ac movent huc, illuc, qui motus cogitationis celeriter agitur per se ipse delectat.

Rem quoque augere debent metaphora, & conciliare admirationem: qui cælum canere tuba dicit, cum tonat, rem magnam tenuit metaphora dedit. Sunt enim tonitrua omni tubarum clangore vehementiora. Xenophon vadare exercitum dixit magnificat si vndas maris cum exercitu confers, & exercitum ire, ineptè loquitur: si audaces sint tropi, fulciantur epithetis. Theognis arcum, tyram appellat, audax est, addit sine fidebus, temperat metaphoram.

*Metaphorâ
necessitas
genus, de
ratio, in
cunctisq;
celebravit.*

Metaphorarum magistra optima consuetudo sermonis, omnia sunt penè metaphoricæ, & nos latent, mera vox, acutum ingenium, acer homo, duri mores, hæc sunt propria nominibus venustiora. Sed cavendum maxime in soluta oratione, ne latus ductis metaphoris parabolas poeticas faciamus, quod Xenophonti excidit, quasi equus solutus campo superbit exultat, & calce fuit, &c. Parabola hæc est poetica.

Antonomasia. Et eius usus.

Antonomasia est pronominatio, siue significatio, voce nominis posita, ut, Adulter fororis, &, Furia religionum muliebrium Pro-

Clodio, apud Ciceronem: Mundi elementum optimum, pro cælo, apud Orpheum: Orbis in Manas quinquevira, pro Helena, apud Lycophronem. Ex quo apparet non adeo frequentem esse bonis oratoribus hunc tropum, Lycophron quorum est proprietatem verborum consecrari, non ficta ubique arripere, & certe in eo ridiculus videretur Lycophron, qui nihil penè dicit sine antonomasia, nisi se ænigmata scribere profiteretur.

*us anti-
nomasia.*

Primus usus erit ad necessitatem, propter verbi penuriam, ut cum Aristoteles Cinedias molles, & venereas cantilenas appellat.

Secundus ad ornatum, ut cum Plato nominat caput, arcem corporis humani: voluptatem, malorum escam: linguam saporis magistræ: hepatis, coquinam corporis: domicilium cupiditatis, gynecæum: iræ sedem, andronem: aquam, Deam sobriam. Hæc digna Platonis maiestate.

Tertius ad dissimulationem, cum de industria orationem volumus obscurare. Sic Alabarche, siue Arabarchen Hierosolymitanum, Pompeium nuncupat Tullius.

Quartus ad indignationem, & aganactesim. Rarè apud Ciceronem, Clodium, semper belluam, pestem, furiam, apud Demosthenem pro Aeschine. *ὀλέθρον γράμματῶν* audies.

Epithetum.

Epithetum, ut habet Phavorinus in lexicis, *ἑπιθεμα τὸ ἐπὶ κερῶν ἢ τῶν ὀφθαλμῶν ἢ μὲν ὀφθαλμῶν ἢ ἐπὶ τῶν ὀφθαλμῶν*, est nomen proprijs appellatiisque additum, laudem, aut dedecus significans.

us epithetis.

Usus triplex discretionis, proprietatis, ornatus. Primus est necessitatis, ut si Bosphorum nominans Thracium appellem, aut Cimmericum: sic enim distinctionem locorum facio.

Secundus est, in narrare rei, & more loquendi, ut cum Deum optimum Max. Mariam virginem dicimus, quis enim ait Epiphanius, aut quo sæculo aulus est quispiam proferre nomen sanctæ marie, & interrogatus non statim intulit virginis vocem.

Tertius, ornatus, ad illustrem orationem conducens: nam si quis dicat Brutii prudentia Tarquinium expulit, latine, & eleganter dixisse videtur: sed quanto gravius, & sublimius hoc idem erit, si quis hoc modo epithetis exornet, Incredibilis, ac propè divina Iunij Brutii prudentia, superbissimum, atque crudelissi-

mum regem Tarquinium, ab vrbe Romana, dominatu regio expulit.

Vt triplex epithetorum virtus, ita triplex virium: dehonestant enim orationem longa, intempetiuua, crebra: longa, vt domi porta (quis enim hoc in oratione ferat) intempetiuua, vt si quis raras aues, & nigros olores vbique nominet, quod apud Iuuenalem inuenit semel: opportune tamen, & loco.

Rara avis in terris, nigroque simillima Cygno.
Crebra, qualia solent esse eorum, qui epitheta conlectantur frigide admodum, & pueriliter, quid opus est enim vbique nigrum cornu, niuem candidam, aurum adamantem decantare, & nunquam exilimate colophonia periodo impostum, nisi per superlatiuum aliquod frigidum concludatur.

Synonymia.

Synonymia est verborum idem significatum congeries, cuius usus est in iusto dicendi genere Ciceroni perquam familiaris. His oratio modò quasi ingens fluius affluatium vndarum accessione voluitur, modò incisus quasi iaculis armata vibratur. Hanc orationem, vt Nilum, aut Istrum fluentem admiror.

Quæ præcatus sum à Dijs immortalibus, iudices, more, institutoque maiorum, illo die, quo auspicato comitijs centuriatis L. Murænam consulem renuntiaui, vt ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romanæ, bene, atque feliciter eueniret: eadem precor ab iisdem Dijs immortalibus, ob eiusdem hominis consiliatum, vna cum salute obtinendum, & vt vestræ mentes, atque sententia, omni Pop. Rom. voluntate, suffragijsque consentiant, eaque res vobis, populoque Rom. pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat.

Ecce duodecim ferme synonymia in hac periodo, quibus carere potuisset, sed non sine detrimento grauitatis.

Ex alia parte quasi legita infesto turbine erumpere videntur: O tenebre, ô lurtum, ô fordes! & ego te non vecordem, non furiosum, non mente caprum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem.

Qua synonymia vitia

Animaduerte vt a paraphora, quasi amento impulla vehementiorem habeat emissionem: atque vt ista habent admirabilitatem & quandam gradationem, qua sensim ad maiora contendunt: ita nihil putidius, quam de

trinitio synonymia sine vilo delectu, & neruis arripere, quæ onerant potius, quam ornant orationem.

Et illæ quidem figuræ ingerunt quandam conformationem imaginis: at quæ sequuntur longè illustriorem.

De secunda Serie figurarum, in illustri, & suauis genere dicendi, quibus icones rerum efformantur.

CAPVT XX.

Volasianus in epistola ad Diuum Augustinum inter ceteras instrumenti Rhetorici diuitias commendat Iconificationum pulchritudinem; & iure mentem enim validius ferunt oratores, qui hanc virtutem obtinent cumulati.

Descriptio igitur, qua nihil in Rhetorū thesauris opulentius, in quatuor patres diuiditur, quanta demonstratio, hæc hypotyposis nominatur.

Imago est formæ, cum forma, cum quadam similitudine comparatio. Ad quod genus referuntur parabola, quibus nihil clarius docet, nihil mouet suauius, nihil iucundius delectat.

Vis vanum doctrine simulatorem multis quidè libris, & studiorum insignibus refertus, sed elinguem, agnosce in Citharædo pisce.

Animaduerte, quælo, hominem, imò vanam simulatorem, & citharædo simillimū inuenietis. Piscis est, Auditores, in mari rubro, discriminato vertice, pennis aureis, & rutili coloris fulgore totus efflorescens, Citharam dorso gestat, nigris lineis, quasi fiduculis intentam. Expectatis fortasse, vt canat: nolite quæso, mutus enim est piscis: non dissimili modo iste magna elegantissimorum librorum copiam cumfert, quanquam ut mutire quidem, aut hîscere in publico audeat.

AElia. l. ii. anim. c. xi.

Vis auaritiæ intueri in diplas. Serpens perniciosissimus est, Auditores, Diplas, puto, vocatus: huius venenum si sem excitat ardentissimam; ex quo fit, vt qui ab eodem tacti sunt, vina perant, & fotes, sed si iustia, indies enim, imò in horas exardescit: sitis, quanta potest esse maxima, & nulla portione restinguitur. Diplas est, diplas inquam, crudelis, auaritiæ sitis, & pecuniarum cupiditas, quæ nunquam expletur.

Lucian. de dipjadibus.

Esictio est expressio corporis, vt: Hunc dico